

**P**ræsta, quaesumus omnipotens Deus:  
ut familia tua per viam salutis incédât;  
et, beati Ioannis Præcursoris horta-  
ménta sectándo, ad eum quem prædíxit  
secúra pervéníat, Dóminum nostrum  
Iesum Christum Fílium tuum: Qui  
tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus  
Sancti Deus, per ómnia sæcula  
saeculórum. **R̄.** Amen.

**V̄.** Procedámus in pace.  
**R̄.** In nómine Dómini.  
Amen.

## Itinerarium

**Ant.** In viam pacis\* et prosperitátis  
dírigat nos omnipotens et miséricors  
Dóminus, et Angelus Ráphaël comit-  
étur nobíscum in via; ut cum pace,  
salúte et gáudio revertámur ad própria.

### **Canticum Zachariæ** **Luc.i,68-79**

**B**enedíctus Dóminus Deus Israël, \*  
quia visitávit, et fecit redemptionem  
plebis suæ.

Et eréxit cornu salutis nobis; \* in domo  
David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, \*  
qui a sæculo sunt, prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, \* et de  
manu ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum  
pátribus nostris; \* et memorári  
testaménti sui sancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham  
patrem nostrum; \* datúrum se nobis,

Ut sine timóre de manu inimicórum  
nostrórum liberáti; \*serviámus illi,

In sanctitáte, et justítia coram ipso; \*  
ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis; \* præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus; \* in remissionem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri; \* in quibus visitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his, qui in tenébris et in umbra mortis sedent;\* ad dirigéndo pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. Sicut erat in princípío et nunc et semper et in sæcula saeculórum.

Kýrie, eléison.

Christe, eléison.

Kýrie, eléison.

Pater noster (*secreto usque ad*)

✠. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

✠. Sed líbera nos a malo.

✠. Salvos fac servos tuos.

✠. Deus meus, sperántes in te.

✠. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.

✠. Et de Sion tuére nos.

✠. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

✠. A fácie inimici.

✠. Nihil proficiat inimícus in nobis.

✠. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

✠. Benedíctus Dóminus die quotídie.

✠. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

✠. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis.

✠. Et sémitas tuas édoce nos.

✠. Utinam dirigántur viæ nostræ.

✠. Ad custodiéndo iustificatiónes tuas.

✠. Erunt prava in dirécta.

✠. Et áspera in vias planas.

✠. Angelis suis Deus mandávit de te.

✠. Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

✠. Dómine, exáudi oratiónem meam.

✠. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

✠. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

**D**eus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti, tribue nobis quaesumus iter Prósperum tempúsque tranquíllum: ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad æternæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

**D**eus, qui Abraham púerum tuum, de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illaesum custodísti: quaesumus, ut nos fámulos tuos custodire dignéris: esto nobis Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsidium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quo téndimus prospere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

**A**désto, quaesumus Dómine, supplicatióne nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prospérité dispóne: ut inter omnes viæ et vitæ huius varietates tuo semper protegámur auxílio.